Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1163

Quelle:
Copyright:

eum locum ubi ait. Erit conſummacio eorum quae edita ſunt. Hoc ad Commentaria quaedam in *Lucae* C. I. v. 39 — 45. unde *Sermo* iſte depromtus eſt, pertinere arbitror, ſimulque noto, Autorem non fuiſſe uſum Verſione vulgata, ſed potius Graeca ſecutum: ὁτι ἐσαι τελειωσις τοις λελαλημενοις pro *quoniam perficientur ea, quae dicta ſunt* &c. Sequitur deinde: *Meliores ad deteriora ueniunt ut eis ex aduentu ſuo aliquid tribuant emolumenti. Sic et ſaluator uenit ad iohannem ut ſanctificaret baptismum illius* &c. Poſtquam deinde dixiſſet: A Jeſu Praecurſorem ſuum in utero primum Prophetam factum fuiſſe, Mariam poſt colloquium Angeli debuiſſe in ſublimioribus commorari, Eliſabeth matrem a filio ſanctificatam fuiſſe &c. in haec verba: *Benedicta tu inter mulieres*, ſic commentatur Noſter: *Debemus in hunc locum ne ſimplices quique decipiantur et quę ſolent heretici opponere confutare. In tantum quippe neſcio qui prorupit inſaniae ut adſereret negatam fuiſſe mariam a ſaluatore eo quod poſt natiuitatem illius iuncta fuerit ioſeph, et locutus eſt quae quali mente dixerit ipſe nouerit qui locutus eſt* &c. *Helvidium* ducem *Antidicomarianitarum* hic peti putem, de quo *Hieronymus*, *Epiphanius*, *Auguſtinus*, qui cum ſub finem Sec. IV. extiterit, de Scripti noſtri aetate aliqua conjectura ferri poterit.

XLIV. *fol.* 141. *Incipit Conuerſio Sanctæ Afrae.* Sic: *Apud prouintiam retiae in ciuitate auguſta tempore quo perſequutio diocliciani feruebat* &c. Sequitur Pars altera inſcripta: *Paſſio Sanctae Affrae.* Utramque edidit vir in colligendis vetuſtis SS. Actis ſolertiſſimus *Bonin. Mombritius* T. I. *de Vitis SS. Mediolani* ſub Sec. XV. finem, ſine loci tamen et anni nota ſplendide impreſſis. Hunc ſibi fortaſſis ignotum ſecutus *Marc. Welſerus* utramque pariter ſed *Commentario* inſtructam publicavit *Venet.* apud *Aldum* jun. 1591. 4. Inde repraeſentatae in Ejus *Opp. omn. Norimb.* 1682. f. apud *Bollandianos* T. II. *Auguſti* p. 55. apud *Surium*, ſed ut ipſe fatetur, mutato ſtilo. *Paſſionem* absque *Converſione* etiam *Theodoric. Ruinartus Actis Martyrum* intulit, ubi edit. *Veron.* 1731. f. p. 399. legitur. Et haec Pars in *Cod.* noſtro phraſi magis ab Editis abludit. Quin et Judex, qui aliis *Gajus* eſt, nobis *Antiochus* audit.

XLV. *fol.* 147. p. 2. *Incipit Inuentio Sanctæ Crucis. V. Non. Mai.* His verbis: *Anno ducentiſſimo tricenſimo* (ſic) *tertio poſt paſſionem domini noſtri ihesu chriſti regnante uenerabile dei cultore magno uiro conſtantino* &c. Extat T. I. *Mombritii. Surius* non habet. *Bollandiani* T. I. *Maji* p. 363. initium ejus adferre contenti jure meritoque ad fabulas ablegant.

XLVI. *fol.* 155. p. 2. *In Dei Nomine Incipit Paſſio Sancti Laurentii Archidiaconi Urbis Romae Mar.* Sic: *In diebus illis.*